



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Phocas M. 5. Martii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

2. Non mortale modò, sed & veniale peccatum, quâlibet jacturâ, vitare debemus, quia veniale peccatum displicet Deo, ipsumq; offendit. Communis est Sanctorum sententia, interitum hujus mundi nihil esse ad veniale peccatum. An in eadem es sententia? Quot singulis diebus venialia committis peccata? Cave, leviores morbi ad graviores deducunt. Nullum unquam quantumlibet parvum peccatum consultò committas, monet enim S. Chryf: *Ne illud parvum negligamus, quod citò neglectum fit magnum.*

3. Non sufficit peccato tum veniali tum mortali abstinere; quoad ejus fieri potest, refecare debet minima quæq; vitia, & ipsa Christi consilia sequi, exemplo sancti Casimiri, qui Evangelicum castitatis consilium vitæ suæ anteposuit. Quàm longè abes ab observatione consiliorum, tu, qui vix mandatis obtemperas? *Qui non facit, quod jussit Dominus, gratis sperat, quod promisit.* Chrysol.

S. PHOCAS M.

5. Martii.

Qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat de benedictionibus, de benedictionibus & metet.

S. Paul. 2. ad Cor. cap 9.

S PHOCAS olitor erat, sed studiosiùs ac diligentius animam tuam, quàm hor-

tum colebat: pro semine verbum Dei, pro floribus modestia & exterior comitas, pro fructibus ei erant omnia virtutum Christianarum, aræ, quæ sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem suavitatis dederunt Deo; & fructus ejus dulces gutturi eorum, qui degustabant eos. Cùm Tyrannus ex odore virtutũ ejus cognovisset, eum esse Christianum; ad capiendum illum illicò milites misit, quos PHOCAS quàm potuit humanissimè ac lautissimè tum oleum ex horto, tum charitatis hospitalis dulci convivio excepit. Post prandium cùm ex eo milites sciscitarentur, num cognosceret olitorem PHOCAM? EGO SUM, ait: illis autem tantâ viri humanitate jam cicuratis, nec violentas ei manus injicere, nec ligare volentibus, *date (inquit) date vincula, nihil gratius mihi feceritis.* Scivit nimirum PHOCAS etiam ligatis pro Christo manibus, liberè ac fructuosè coli posse animi nostri hortum. Ductus ad Præsidentem, abscissione capitis Martyrium complevit, novus cælestis horti inquilinus, quem suo Sanguine Mercatus est.

MEDIT.

100) 103. (1050)
MEDITATIO

Anima nostra est horto similis.

1. **Q**uisquis bonas fruges cupit percipere, eas serat oportet; tum sœpius & ferro eradicet, & igne comburat lolia, quæ ipso invito, nascuntur. Cupisne animam tuam fructus habere dignos, qui mensæ Patris Cœlestis apponantur? Primum bonum semen sere in anima tua, audi tum externum, tum internum Dei Verbum: deinde eradica pravas cupiditates, quæ in corde tuo præfocant cœlestis gloriæ semen. Nullos dabit fructus anima tua sine mortificatione. Nunc quidem durum tibi est, assiduis laboribus sterilem terram colere, eamque rigare lachrimis, & sudoribus tuis, sed planè jucundum erit tempore messis, id est mortis, laborum tuorum fructus colligere.

2. Largâ manu semen sparge, si messem velis copiosam, in sanctis operibus multus esto, ut multam mercedem recipias: effuso prolixoque animo Deo largire, quidquid potes, plura semper merebitur; Labora, patere, dum vivis, nam parere possunt aternitatem pauci dies. Eucher.

3. Oltor frustra solum hortum coleret, si cœlum imbres, & astra benignos influxus denegarent, frustra pariter colis animam tuam, si careas humilitate, quâ nimirum obtinetur ros gratiæ cœlestis, sine quo rore sterilis est anima, sicut terra sine aquâ. Neque qui plantat, est aliquid. neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. S. Paulus.

L

S. CO.